

in plerisque servari ecclesiis, ut vix aut ne vix quidem sine magna perturbatione quidpiam, contra vulgarem usum, immutari potuisset. Itaque in præsentì volumine (pag. 285), multorum consilium secuti, *Ordinarium Missæ* emendatius repræsentamus secundum Graduale Romanum, quod prodiit Antverpiæ ex officina Plantiniana, anno 1599. In hac operis parte hic præcipuus noster labor fuit, ut ea tantummodo loca corrigere (et certe non plurima sunt), ubi vel contra tonos, vel contra syllabarum quantitatem, vel contra verborum et sermonis sensum errasse visi sunt editores Antverpienses.

« Sic ergo nos, adjuti potissimum consilio et ope  
« multorum fratrum qui in arte et usu canendi instru-  
« ctiores atque peritiores inventi sunt, novum tandem  
« **GRADUALE** in subjectum volumen collegimus, et  
« cantu (sicut credimus) et littera irreprehensibile....  
« Nec hoc utique suggestit præsumptio, sed injunxit  
« obedientia. Si ergo opus singulare et ab aliis libris  
« diversum fecisse reprehendimur, id nobis restat so-  
« latii, quod nostrum ab aliis ratio fecit diversum, alia  
« vero inter se diversa fecit casus, non ratio, vel  
« aliud quidpiam, quod in causa casui non præpon-  
« derat. (1). »

Reliquum est ut venerabilibus presbyteris, qui, suadente Eminentissimo ac Reverendissimo Domino nostro **ENGELBERTO** Cardinali **STERCKX**, editores in difficili labore quam maxime juvarunt, insignem pro meritis gratiam ex animo referamus.

(1) **S. BERNARDUS**, abbas Clarævallensis, in præfatione de cantu, seu correctione Antiphonarii. (Edit. Joh. Mabillon, vol. I, pag. 702 et 708.)

Faxit Deus ut editio emendata Gradualis, ad quam videor aliqualem operam præstitisse amico meo **EDMUNDO DUVAL**, ad cantus Gregoriani majestatem nonnihil conferat. Hunc unum a supremo Numine fructum laboris enixis precibus exoro.

Scribebam Mechliniæ in Semin. Archiep. Sect. I, in festo S. Caroli Borromæi, 1848.

P. F. DE VOGHT, PRESB.